







Digitized by the Internet Archive  
in 2017 with funding from  
Getty Research Institute

<https://archive.org/details/johannisbaptista00pass>




JOHANNIS BAPTISTAE PASSERI  
PISAVREN. NOB. EVGVBINI  
DE PVERI ETRVSCI  
AHENEO SIMVLACRO  
A CLEMENTE XIII

P. O. M

IN MVSEVM VATICANVM INLATO

DISSE



ROMAE CIC. IC. CC. LXXI

EX TYPOGRAPHIO PALLADIS  
PRAESIDUM ADPROBATIONE



# CLEMENTI XIII P. O. M.

BONO CHRISTIANAE REIPUBLICAE NATO  
VETERVM MONVMENTORVM  
V I N D I C I  
INVECTO SIGNO AHENEO  
PVERI ETRVSCI  
IN VATICANVM MVSEVM  
BREVI ANNORVM SPATIO  
EXIMIA LARGITATE SVA  
MVLTIPLICITER AVCTVM  
ACCVRATISSIMAM DISSERTATIONEM  
A CLARISS. VIRO IOH. BAPTISTA PASSERIO  
DE EO ELVCVBRATAM  
FRANCISCVS CARRARA V. S. R.  
INNOCENTIANAE CVRIAIE IVDEX ALTER  
PRINCIPI LITERATISSIMO  
L. M. D.




# ARGUMENTUM


## DISSERTATIONIS

- I. *Monumenta Etrusca ante annos quinquaginta rarissima habebantur, nunc frequentissima, ac in maximo praetio. Excitantur eruditi ad ea illustranda.*
- II. *Describitur simulacrum in Etruria, nuper repertum, et indicatur ejus raritas, atque artificium. Recensetur inter donaria, quae, restituta pueris è gravi morbo salute, in templis dedicabantur, ex quo genere vix duo epigraphica ad haec usque tempora cognita sunt.*
- III. *Usus horunc donariorum coeteris nationibus incognitus Etruscis familiarissimus fuit, nempe afferendi aereum imaginem seu fictilem ejus, qui beneficium aliquod a diis receperisse profitebatur.*
- IV. *Immo usus iste ab Etruscis derivatus ad Romanos, et ab illis apud majores nostros sanctiore instituto frequentissimus fuit.*

V. Simu-

- V. *Simulacra quaedam hujus generis nota referuntur.*
- VI. *Inscriptiones in illis exaratae ad illustrationem nostri hujus explicantur.*
- VII. *Simulacrum idem per partes examinatur:*
- VIII. *Refellitur opinio, quod haec imago pertineat ad Tagetem deum indigenam Etruscorum.*
- IX. *Perpenditur causa cur imago hujus pueri calvo vertice facta sit, et rationes adducuntur quod illa Iconica sit, et expressa ad similitudinem, et praecisam molem ejusdem pueri a ferali morbo liberati.*
- X. *Agitur de superstitione veterum circa capillos.*
- XI. *Tentatur expositio mutilae inscriptionis incisae in hac imagine.*
- XII. *Inquiritur aetas hujus simulacri.*





# DISSERTATIO



## I.

**M**Irari non desino, CARRARI  
PRAESULAMPLISSIME, praesentem fortunae litterariae  
munificentiam , quam ab annis fere  
quinquaginta experimur erumpentibus undique e terrae latebris tot  
veterum saeculorum speciosissimis  
monumentis , praecipue vero Etruscis, quae retroacta tempora , neque  
suspicata sunt extitisse . *Enim vero*

*ante*

## VIII

ante an. MDCCXXIII. paucissima hujus nationis cimelia circumferebantur , quae Ciattus , Fabrettus , Santes Bartolus , aliquique pauci vulgaverant , et quae stuporem magis , quam cognitionem illius antiquitatis ingrerent ; ut cum exinde Philippus Bonarrotus senator amplissimus operi Dempsteriano de Etruria Regali collectionem universam monumentorum Etruscorum , quae ad ea usque tempora innotuerant , addere constituisset , missis undequaque inspectoribus diligentissimis , qui reliquias hasce in tabulas referrent , nec centuriam quidem potuerit absolvere . Tantum vero ex eo tempore nummorum , simulacrorum , paterarum , urnarum , et picturarum repertum est , ut supellectile  
hac

hac in classes digesta non jam centurias , sed agmina refertissima instruxerint . Quod vero prae caeteris mirandum est , Etruscos nostros Homeri cultores addictissimos extitisse , ut ex illorum picturis , atque sculpturis universa eximii poetae volumina , non illustrari tantum , sed reintegrari posse videantur , quod praecipue de interempta illius THEBAIDE a plagiario Statio usurpata saepe monuimus . Tantis ergo opibus succrescentibus accessit copia literatissimorum hominum , qui ea illustrarent , Gorius , praeſul Guarnacius , Oliverius , Amadutius , atque universa cohors Cortonensis académiae , et nuper Londinensis nostrae societatis decus amplissimum eques Hamilthon Magnae Britaniæ

apud utriusque Siciliæ Regem prolegatus , qui vere regali veterum picturarum Etruscarum collectione antiquam illam nationem non modo ad vitam , sed ad universi Orbis commercium , et familiaritatem revocavit . In tanta vero subsidiorum frequentia ad antiquitatis scientiam amplificandam , fortuna , ut ita dicam , properante , agnosco fatum litterarum apud nos declinantium , juventute a studiis omnibus recedente , et dum bonae artes ad claustra confugiunt , quod foris est occupat otium , et ventosa , tumidaque ignorantia . Praeoccupat ergo ventura tempora fortuna festinans , ne ea , quae adhuc latent , cum aliquando erumpant , inter studia cincinnatorum intereant , aut aliena lingua

lingua eloquentia negligentiam nostram incusent.

## II

Inter vero praesentis fati beneficia libenter accenseo quod in tui potestatem advenerit , praeful ornatissime , singulare cimelium , in cuius expositione versamur , quodve sub protectione SANCTISSIMI , DOCTISSIMIQUE PONTIFICIS aeternitati consecraveris . Est enim simulacrum aereum Etrusci operis , ponderis librarum xxxvi. exhibens patricium adolescentulum nudum e terra surgentem , ex iis imaginibus , quae pro salute reparata deorum , ut putabant , munere in templis dedicabantur ; nec enim ex aliis ejusdem notae , quae hucusque prodierunt , aut pulchrius , aut majus aspexi-

mus ; longe enim superat signum  
Cortonensis academiae nostrae libra-  
rum  $\overline{xvi}$ . , de quo sermonem feci-  
mus tomo primo inter specimina  
societatis Columbariae Florentinae .  
De hujus origine minime ambigi-  
tur , nam anno superiore ex rude-  
ribus Tarquinienibus prope Corne-  
tum defossum est , atque Etrusca in-  
scriptione , licet misere labefactata  
in sinistro brachio insignitum , quae  
gemina argumenta opus Etruscum  
esse confirmant . Id institutum inci-  
dendae inscriptionis in statuis etiam  
cum dispendio venustatis solempne  
fuit ei nationi , ne si deferri contigis-  
set , memoria originis deperiret . At  
contra Romani ex quadam fiducia  
aeternitatis imperii dedicationem  
in basi simulacrorum constanter exa-

rarunt politiore quidem consilio, nisi Barbaros dissimulassent. Signum id nostrum nobilem puerum referre reputamus argumento molis suae, excellentiae artificii, et praesertim bullae, quae nonnisi patriciis ipso natali die gestanda dabatur usque dum virilem togam assumerent, nec revocanda, nisi quando triumpharent. Votivam vero hanc imaginem esse colligo ex dedicatione brachio laevo incisa, ut in loco sacro perspicua ad quem pertineret innotesceret.

## III

Frequentissimus horunce donariorum usus fuit apud Etruscos, ut qui beneficium aliquod a diis accepisse crederet, imagine sui in templo oblata deo illi vivere, immo, et convivere videretur. Multas hujusmodi,

jusmodi , sed minimae molis , atque anepigraphicas circumferri vidimus , quas Gorius noster nomenclator deorum pro diis nobis obtruserat , aliquando sub specie virorum decumbentium , et morbo , aut hydrope tumidorum , ut est apud me signum hocce .



Saepe etiam sub specie surgentium ex lectulo valetudinario , quemadmodum signum Perusinum apud Dempsterum tab.xlv., aliudque Coronense

tonense apud cl. Coratium , aliquando vero specie recta stantium , ut aliud apud eundem , de quo in praefata dissertatione inter Columbarias tom. I. num. I. Aliquando haec signa occurrunt cucullata , quo munimine utebantur convalescentes , ut apud Gorium Mus. Etrusc. tom. I. Nec vero cum legimus apud Florum Romanos Vulsciis bellum intulisse propter duodecim millia statuarum , ea putemus in foro , aut atriis iconica extitisse , sed minuta haec signa fuisse , quae diis oblata eorum templo exornarent , et lucos , praesertim Vultumnae , ubi duodecim civitatum principes ad commune consilium incundum conveniebant .

## I V

Id genus obsequii erga deos Etruscis vulgare fuit . Hebraei , quibus imaginum usus lege interdictus erat , nam unico sacrificiorum officio devotionem animi testabantur , nil tale factitabant . Immo neque Aegyptii , quorum devotio in multiplicandis deorum imaginibus , in quibus dii ipsi habitarent , erat reposita . Graeci quoque ab hoc instituto abstinuerunt ob gentis arrogantiam , cum se deorum sobolem esse jactarent ; nec puto simulacra illa virorum illustrium , quae frequentissima in totius Graeciae delubris observavit Pausanias votiva fuisse , sed tantummodo honoraria , et historica , ut diis ipsis compararentur . Ast humaniores Romani lucos suos simulacris fitilibus

ctilibus oppleverunt , monumentis  
nempe eorum , qui beneficium ali-  
quod accepissent , immo etiam mor-  
borum symbolis , e quorum erum-  
nis evasissent . Id superiore saeculo  
dilabente cognovimus ex Dianae  
Aricinae , & Junonis Reginae lucis  
defossis , quorum plures opes ex  
poenu Fabretiano in mei potesta-  
tem devenerunt . Id etiam nos Pi-  
saurenses superioribus annis agnovi-  
mus ex alio luco patriorum numi-  
num ad secundum ab urbe lapidem  
ad beatae Venerandae templum ever-  
sa funditus terra , donec solum car-  
bonibus affatim sparsum repertum  
est , pietatis christianaee testimo-  
nium , quae lucum totum incende-  
rat ; opes vero , quibus redundaverat ,  
in museum Pisaurense induximus

fictilia anathemata , signa aerea ,  
 nummosque Etruscos . Erat lucus  
 prope rivum Genicæ , cuius aqua  
 tunc sacra erat ; nec enim alia adhi-  
 bebatur ad expiationes , et sacrifi-  
 cia . Etruscis igitur morem hunc  
 referimus , quod imagines nostræ  
 pro accepto beneficio diis suspen-  
 derentur in delubris , quem ab omni  
 superstitione expurgatum sanctius  
 imitamur .

## V.

Paucula nunc ex hisce simulacris  
 puerorum literatis , quae hactenus  
 aspexi dinumerabo ad conjecturam  
 hanc meam confirmandam ; puto  
 enim non modicum luminis ad ar-  
 gumentum nostrum illustrandum  
 me fore allaturum . Minora quae  
 sunt ex his communi quadam ima-  
 gine

gine puerili venalia prostasse puto  
nulla inscriptione obsignata , quae  
cum dedicarentur , rudi manu ali-  
quando addi solebat , sed raro .  
Hanc vero unicam CARRARI SVA-  
VISSIME singulari exemplo *Iconicam*  
fuisse puto ex mole pari , et linea-  
mentis non arbitrio artificis , sed  
ad veri fidem expressis ; nec enim  
parentes splendidi in hoc opere ve-  
ram pueri imaginem neglexissent .  
Inscriptio vero nil praeter nomen  
pueri , et parentum continere de-  
buerat , qui donarium dedicabant .  
Signum Perusinum toties memo-  
ratum puerum humi sedentem , sed  
festivum notat , nudum , & bulla  
insignitum dextera manu stringen-  
tem aviculam , altera globulum ,  
nempe crepundia puerilia ad lusum

revocata post reparatam valetudinem cum sequenti Etrusca inscriptione, quam etiam literis Latinis exhibeo

931).JMNIAZ.CEPMEM9318

FLEREM.ZEC.SANMV.CVER

FLEREM omnino significat *sacrum*, quod demonstravi in mea tractatiuncula *De Etruscorum funere* pag. 80. post Gorium Mus. Etruic. tom. III., quo in loco pateram protuli, in qua *Neleus*, & *Pelias* novercam jugularunt in templo Junonis, in cuius ara scriptum est 9318 hoc est *sacrum*, quod etiam aliis exemplis confirmavi.

ZEC est a *zāw*, *vivo*, *incolumis sum*; fortasse interpunctione transposita legendum Zeefan.

MVCVER nempe mei pueri. Si  
vero

vero vocem disjunctam velis SAN  
erit a zαQ. incolumis.

CVER vero , puer est a kορQ. , unde  
*puer* in Latium migravit .

## VI

Nec tantum figuras puerorum  
iacentium dedicabant in templis ,  
sed etiam stantium , veluti eorum  
qui jam perfecte convaluerissent , ut  
in tab. xcviij. tomi i. Mus. Etrusc. ,  
et in alio Cortonensi saepe citato  
inter Columbarias , cuius integrum  
inscriptionem , abs re non erit re-  
ferre una cum altera exharata in  
candelabro , seu tripode simul dedi-  
cato , et simul reperto . In latere

MAOJ8VO·JANCAIA8·MAI3E  
MIEVANENT·MANIOVT·AV3C·3VANEN·MA1NA

## In tripode

NAANA·MAOJIVO·ZVZ·WET·A  
·ECPVT

VELIAM· FANACNAL· THVPHELTHM·

ALPAN. THENACHE. CLEN. CECHA. TVTINEM. TLENACHEIM.

A. VELS. CVS. THVPLTHAM. ALPAN.

TVRCE.

Igitur in inscriptione signi puerilis quatuor matronas descriptas lego, quae in eo dedicando tesseram suam contulerunt VELIAM uxorem PHANACLII.

THVPHELTHM nempe uxorem ALPANI . Nomen hujus matronae ex depravata pronunciatione corruptum esse puto ex *Turpilia*, ut in inscriptione Tuderte literis semi-etruscis

TVPLEIA PVPLEGE  
hoe est *Turpilia Publicii*.

THENACLIAE CLEN nempe metronimicum ipsius Turpiliae, quae hic more Etrusco THENACLIAE matris filia dicitur, nam CLEN et CLAN natum, seu *natum* significat, ut absolute demonstravimus in opusculo de tegulis Buccellianis dicto tomo III. Mus. Etrusc.

CECHA TVTINEM TLENACHEIM intellige *Mulier* nomine *Ceca Tutini* uxor, altera Thenacliae nata, nam hoc loco TL. pro th. ex oscitantia scriptoris irrepsit. Caeterum CECVS nomen Etruscum est testimonio regulae Buccellianae loco citato tab. xxx num. xi.

Adeamus tripodis inscriptionem, in qua duo nomina conjuncta sunt, eorum, qui id donarium dedicarunt, nempe *Aulus Velius*, fortasse pater

pater cum Turpilia. ut puto uxore *Alpanii*, de qua supra dictum est ejus filia *TURCE*; quod ego *Marti Thurio* interpretatus sum in meis ad tabulas *Dempsterianas paralipomenis*.

Cvs particula conjunctionis est pro cVM; descendit enim a QVIS, ut putat *Vossius* in cVM.

## VII

His igitur ad intellectum hujus nostri simulacri praemissis, illud per partes contempleremus. Exsolitus puer a morbo, utraque manu innixus alacer in coelum respiciens specie loquentis, et subridentis exurgit. Bullam ostentat, insigne decus puerorum Etruscorum ad reverentiam illis conciliandam adinventum, quasi pudicitiae custodem, et quam *Papias* vocat *ornamentum regalium*

*lum puerorum*, nam ab Etruscis, qui reges annuos habebant, patriciorum filii regales dici poterant. Ab Etruscis transiit ad Romanos Prisco Tarquinio regnante eo consilio, ut monet Plutarchus *Quaest. Rom.* in fine, ut eam numquam deponerent: *ut si casu nudi occurrerent, fraenum iniicerent impudenteriae*. Pari modo purpura ornabantur, quam Propertius vocat *Custodem*; utraque enim obiicebatur iis, qui dirum aliquod in illos molirentur, praesertim ad beneficia, ut puer ille Horatianus adversus beneficam *E-*pod. Ode v.

*Per hoc inane purpurae decus precor,*  
*Per improbatum haec Jovem.*

Quo vero apparatu, et caeremoniis apud Etruscos bulla attribui, et deponi soleret affatim exposuimus in

notis ad picturas Etruscas toto fere lib. i. et secundo . Formam bullae penitus rotundam fuisse apud eam nationem ostendunt marmora omnia , et signa , et picturae , quamquam Macrobius Saturnal. lib.i. c. 6. cordis figuram referre asseruerit , discrepantiam tamen conciliat una apud me votiva , ut credo , ex aere deaurata , una inquam ex tribus superstes , quae pendebant ex fascino Tuderti reperto ; bulla quidem rotunda est , sed margine inferius in acutum producto . Nudos quoque , et nudas foeminas etiam in balneo amuleta quaedam prophilaetica retinuisse veluti scarabeos , aliasque gemmas sculptas observavi inter picturas Etruscas tom. i.

## VIII

Audio tamen fuisse aliquos , qui simulacrum id coram contemplati judicium de eo suum audacter pronunciaverint , nihil exprimere nisi imaginem dei Tagetis , qui in agro Tarquinienſi ebulliente fulco in conspectu villici aratoris emersit sub figura pueri , et Aruspicinæ documenta populis concurrentibus explanavit , ut post Ovid. Metam. xv. v. 47. narrat Servius in VIII. Aeneid. Quid ni ? ( ajebant ) signum id in Tarquiniis inventum est ; refert puerum e terra surgentem , immo et loquentem , quid mage consentaneum Tarquinios ipſos deum suum apud ipſos e terra deifera natum , et auctorem tam grandis scientiae simulacro hoc apud ipſos vene-

rando decorasse? ingeniose quidem,  
cui sententiae calculum suum facile  
addidissent universi, qui in nume-  
ro deorum, amplificando libenter  
versantur. Ego vero in judiciis ma-  
gis ambiguus, cum detonsum pue-  
rum conspexisse longe aliud qua-  
rendum esse judicavi. Sculptores  
enim praecipue in diis efforman-  
dis vitium hoc semper vitarunt de-  
tracto sibi potissimo venustatis sub-  
sidio, quo hominis facies maxime  
decoratur: Calvities enim despectui  
erat, et opprobrio reputabatur *Calvis*  
*Mimis*, ut saepe eos, qui damnaren-  
tur ad mortem, veluti nota ludibrii,  
seu infamiae raderentur. Cur igi-  
tur deus rafus, cui nihil quod ad  
omnimodam dignitatem conferret  
erat detrahendum? nec specie re-  
surgentis

surgentis veluti e ruina formandus erat , qui in ipso exortu stare debuisset , qui arcanam disciplinam revelaret .

## IX

Me vero ipsa detonsio in prima opinione confirmat , nempe donarium esse patricii adolescentis , qui a letali morbo restitutus monumentum hoc accepti beneficii in templo aliquo , seu luco more majorum dedicaverit . Cum enim artifex , et molem , et lineamenta pueri ad vivum exprimere jussus sit , ut constanter teneo , capillis decisis effingere debuit , ne capillatum restitueret deo , a quo calvum ex morbi malignitate obtinuerat . Erat etiam apud veteres quaedam religio in capillis , ut eos numinibus dedicarent ,

atque

atque eis sacros diligenter enutri-  
rent; Itaque, si periculum mortis  
ex morbo, seu naufragio vehemen-  
ter instaret illos refecabant, et deo  
servatori afferebant. Censorin. de  
die natali: *Quidam enim pro certa bona  
corporis valetudine crinem deo sacrum pascebant.*  
Et Euripid. in Bacchis

*Sacer est capillus s; deo illum nutrio,*  
et Homer. Iliad. xxiii. de Achille

*Nutrit comam flumini Sperchio*

Pausanias quoque in Arcad.: *Nutrit  
comam Leucyppus flumini Aphaeo*. Omnia  
verò magis opportune ad rem no-  
stram Diodorus lib. viii. *Vota enim pro  
pueris morbo affectis ita concipi solita, ut si sanita-  
tem recuperarent illorum defectus capillus dedicaretur.*  
Notat quoque egregius praesbyter  
Johannes Andreas Jovannellius Tu-  
ders, et accademiae nostrae Pisau-  
rensis

rensis socius , qui antiquitatum Tudertium ephemerides in septem tomos digesserat , et moriens académiae nostrae custodiendos legaverat , notat inquam inter antiqui templi rudera pyxides fictiles probe clausas invenisse , in quibus capillorum vestigia adhuc conspicua servabantur ad hanc superstitionem facile spectantia , seu ad alteram huic affinem , per quam segmenta capillorum , cum togam assumerent adolescentes , diis suis offerebant , de quo videnda quae diximus in notis ad picturas Etruscas tom. I. et II. Hic vero obiter notandum signa haec aerea , immo , et simulacra non in templorum vestigiis inveniri solere , sed sparsim per arva dum terra evertitur , cum e contra inter-

templorum ruinas , signorum marmoreorum fragmenta inveniantur. Id ego tribuo direptionibus barbarorum , qui quarto saeculo loca diis sacra expilarunt , et quidquid flatuæ aptum erat abstulerunt , quod vero commodo transferri non poterat sub spe redditus abscondebant , frustrato plerumque voto , ut nobis aliquando recuperanda servarentur.

## X

Quod pertinet ad tonsuram , quae in hoc simulacro singularis est , notandum censeo adeo superstitiones fuisse antiquos , ut neminem putarent ex hac vita migrare potuisse sine quorumdam capillorum sectione , quae supernis potestatibus erat reservata , ut colligitur ex eodem

Euri-

Euripide loco citato vers. 74. , ubi  
mors ita loquitur :

*Haec enim mulier descendet in Plutonis domum :  
Accedo autem ad eam , ut gladio sacra auspicer :  
Ille enim est sacer diis inferis ,  
Cujus hic gladius lustrarit capillum capitis ,  
ad quam opinionem allusit Virgi-  
lius Aeneid. iv. mortem Didonis  
exprimens .*

*Tum Juno omnipotens longum miserata dolorem ,  
Difficileisque obitus Irim demisit Olympo  
Quae luctantem animam , nexosque resloveret artus  
Nam quia nec fato , merita nec morte peribat ,  
Sed misera ante diem , subitoque accensa furore ,  
Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem ,  
Abstulerat , Stygioque caput damnaverat Orco ,  
Ergo Iris croceis per Coelum roscida pennis ,  
Devolat , et super caput astitit . Hunc ego Diti  
Sacrum jussa fero , teque isto corpore salvo .*

Colluctantibus igitur cum morte ,  
ne diu torquerentur mos inolevit

refecandae comae , ut tradit ejusdem Euripidis antiquus scholiaстes loco citato *quoniam mos obtinet mortem mori-turi comam resecare .*

## XI

Tentandum nunc inscriptionis fragmentum , si quid inde eruere valeamus, conatu eo magis difficulti, quo in lingua pene ignota interrumpum , majore sui parte desideratur; nam quadruplicis lineae vestigium indicat totum brachium , quod periit , inscriptum fuisse . Idem Etruscis , et Latinis elementis exponam

.....VAS. VELVMA	AMVJZI·ZAV .....
....IS. CELVANSL	ZNAJZC·SI .....
....IS. CVER	OZCZC·SC .....
....CLAN	NAJC .....

VELVMA

VELVMA nomen gentile est , sed desinentiae femininae , quam quidem gentem Latine Volumiam diceremus , notam ex aliis titulis sepulcralibus , praesertim Clusii in urna ad usum aquae benedictae in ecclesia sacri Corporis Christi , ex schedis Gabrielis de Gabrielibus

· · · · · JANITIV·MVJZI·IMJPTZI·IZI  
VEI. seu VEL.PETRVNI.VELVM.VITINAL  
hoc est matre VITINIA . Origo nomi-  
nis est a VELA, seu VELIA, quae Etru-  
scis civitatem designabat , unde  
*Velsinium* , hoc est civitas senum , seu  
senatus ; ibi enim conventus erat  
procerum totius Etruriae . Cum  
vero populus Etruscus duodecim  
colonias trans Apenninum trans-  
misisset , Vulsinienses , nunc *Bolsenenses*  
Velsinam aliam cum proprio nomi-

ne , et suprema potestate fundarunt , inde *Felsina* nunc *Bononia* , ut tradit Livius . Ex eadem origine *Velitrae* , et *Volaterrae* Etruscis **VELATRI** dictae sunt .

**CLAN.** vox ista omnino significat *natum* seu *filium* . Collige ex inscriptione in duabus hisce tegulis Bucellianis , quae pertinent ad duos fratres ejus temporis , cum lingua , et scriptura Etrusca declinabat in Latinam .

**R·SPEDO  
HOCEPNA  
CLAM**

**VEL·SPEDO  
THOCERONIA  
NATVS**

**SELVANSL.** Iterum recurrit haec dictio in urnula apud Gorium Mus. Etrusc. tom. i. tab. LXVII. **S A E L V I K A P P N A S T V**, et in alio sigillo epigraphico apud Dempsterum tab. xxiv.

**TAVI SELVAN**, unde colligitur nomen esse familiare, nempe, ut Latini dixissent, *Salvii Kapenatis, Octavii Salvii*. Hinc colligimus quod etiam supra notaveram, haec donaria aliquando ex concursu affinium, et amicorum constitui confueuisse.

**CVER**; puerum notat, ut demonstravi supra ubi sigillum Cortonense literatum exposui.

### XII

Supereft inquirenda aetas hujus monumenti, arduo quidem conatu, ac incerta intra viginti fere saeculorum obscuritatem, nam communiore judicio principium nationis Etruscae deducimus a *Cethim* Noachi pronepote, qui proprium nomen Italiae indidit; hic enim circa annum Mundi MM. floruisse creditur,  
pri-

primamque sedem in Etruria constituisse. Haec vero constanti libertate usque ad bellum sociale usq; est, vexata saepius, exinde vero penitus submissa. Interim praeter ceteras artes omnes sculpturam adeo coluit, ut in Graeciam quoque eam propagaverit, non sine tamen Graecorum invidia, qui rerum omnium initia sibi tribuerunt.

Judicium vero de aetate alicujus sculpturae nonnisi ex multitudine exemplarum defumi potest, quae veluti in classes redacta sint pro incremento, aut declinatione artificii. Ast quae sunt haec in Etruria nostra, quam ab annis non amplius quinquagenis noscere incoepimus? si primaeva haberemus vix informia saxa conspicere datum esset,

horridulis lineolis exharata potius quam sculpta; ast pauca, quae adhuc detecta sunt feliciorum saeculorum ingenium redolent, quo luxus, et copia, ruralem, et bellicam gentem ad haec studia inclinavit; quamobrem duo tantum subsidia ad conjectandum nobis supersunt, nempe stylus artificii, et modus scripturae.

Quod primum est, mihi consti-  
tuo opus id, de quo quaerimus, esse Etruscum, non quidem quia Etrusce inscriptum sit; poterat enim in dedicatione Etrusce scribi etiam peregrinum, quod etiam in meis epi-  
stolis Roncaliensibus notandum cen-  
sueram; Etruscum vero asserere non  
dubito, nam caeterae nationes,  
numquam humanas imagines,

supra

supra diximus, dedicare in templis  
consueverunt. Praeterea hic agitur  
de imagine *Iconica* ad vivum expressa;  
quicumque enim a picturae studio  
non est alienus optime distinguit  
ea lineamenta, quae a vero desum-  
pta sunt suggestente natura, ab aliis,  
quae ars, et ingenium artificis  
subministrat, eruta a fontibus pul-  
chri universalis, unde reiiciuntur in-  
dividua illa lineamenta partium mi-  
nutissimarum, quae vultum a vultu  
discernunt. Praeterea nunquam cre-  
dam magnatem virum, qui simu-  
lacrum id fieri mandarat, officinam  
extraneam elegisse, quam domi ha-  
beret.

Quae fuerit antiquior Etruriae  
sculptura ab aheneis deorum simula-  
cris, quae adhuc supersunt, unice ju-  
dica-

dicamus. Rigidus ille totius corporis status vix explicatis manibus, et pedibus sese offert nobis in signis deorum Larium, quae frequenter ostenduntur in museis, et qui ut plurimum armati adparent, et insigniter galeati, clata manu dextra, quasi stupide jaculantes. Hujusmodi sunt, et majoris molis imagines Tuderti nuper effossae, quorum geminas apud me habeo, quas edidit Gorius in musei Etrusci to. I. Armari vero coepisse Lares, praeferunt Tuderti puto post Hannibal's irruptionem, cuius fines ea pestis invaserat. Eam vero Italiae partem, et Romam ipsam praesidio Larium vindicatam reputabant.

Propert. Eleg.

*Hannibalemque Lares Romana sede fugantes.*

Exinde vero armari coepisse judico , cum caeteroquin domestici putarentur . Secura igitur , et quiescens Italia stylum expolivit , sculturæ artificium ad maximam elegantiam evexit , et artes , quas Graecis tradiderat , revocavit , auctasque incrementis peregrinis patria industria ad apicem pulchritudinis excitavit , ut quae apud Graecos actiones expresserat , apud Etruscos etiam animi motus revelaverit , immo extorserit etiam loquela , ut demonstravimus ex eorum picturis . Cum itaque antiquissima sculputrae Etruscae exemplaria minime habemus , & quae supersunt mediae aetatis aridum quiddam stupidumque redoleant , dein etiam specimina admirandæ elegantiae , inter quae primum

primum commemoro simulacrum  
hocce Carrarianum , non est cur  
istud inter antiquissima gentis ope-  
ra computemus .

Laudantur inter Etruscorum ope-  
ra urnae marmoreae sepulcrales non  
modo ob eruditionem, quam praese-  
ferunt , verum etiam ob artificium,  
quod in primis est admirandum. Sed  
haec portenta ad postremam Etru-  
riae aetatem sunt referenda . In his  
tota Homeri Ilias , et Odyssaea no-  
bis occurrit , et tragica Thebarum  
civitas universa portenta mestitiae  
nobis expandit . Tantus doctrinae  
apparatus in ipsis sculptoribus refu-  
git tempora antiquissima , et ad ae-  
tatem longe posteriorem reclamat .  
Historia Euthymii , qui spectrum  
Lybantis e sepulcro ejicit , expref-

sa in urna apud Dempster. tab. xxv.  
describitur a Pausania in Eliacorum  
posteriore, et refertur post Olympiad.  
LXXVI. circa annum Urbis ccc.  
Altera historia herois Hechetlei,  
in aliis urnis ibidem tab. LIV. et alibi,  
pertinet ad bellum Marathonium,  
ubi Genius iste sumpto aratri vecte  
Persas profligavit, quae historia ad  
annum Urbis CCLXIV. tribuenda est.  
Praeterea luxus urnarum, praeci-  
pue marmorearum serius inolevit.  
Plin. libro VII. cap. 54. *Ipsum cremare apud Romanos non fuit veteris instituti. Terra condeban- tur. At postquam longinquis bellis obrutos erui co- gnovere, tunc institutum, et tamen multae familiae priscos servavere ritus, sicut in Cornelia nemo ante Syllam dictatorem creditur crematus.* Profecto  
ubique in Etruria corpora huma-  
ta reperiuntur munita tegulis Etru-  
sce scriptis, testimonia primaevae  
simpli-

simplicitatis. Urnarum igitur marmorearum sculptura elegantissima tardiori aetati tribuenda est, cum jam historiae insculptae vulgatae, et communes erant in populo, et jam antiquitate venerabiles.

Nec Etrusca inscriptio asserit nobis majorem antiquitatem eo subdubio, quod cito ab usu recesserit, Roma pugnante non modo contra libertatem, sed etiam idiomata populorum. Res quidem Etruscae omnes se submiserunt Romanis, lingua tamen omnium ultima. Circumferebantur Romae etiam sub primis Caesaribus libri Etrusci de eorum disciplina circa deorum cultum, de haruspicina, de significatione garritus avium (o magna negotia!) et de hisce similibus, nam

Cicero , et Seneca immo Arnobius,  
et Servius Grammaticus illos fre-  
quenter annunciant .

Sed libri hujuscemodi esse desie-  
runt , supersunt tamen numisma-  
ta Etrusce scripta , et de quorum  
aetate dubitari non potest , quae  
constantiam hujus linguae , et cha-  
racteres ostendunt . Habemus num-  
mos Tudertium minime molis hac  
praerogativa insignitos , qui perti-  
nent ad annum urbis DLXIII. , et in-  
fra , ut demonstravi in *Chronico nummario*  
*Etruscorum* inter mea in Dempiterum  
paralipomena . Quinimmo etiam  
fervente bello sociali circa annum  
urbis DC LX. cusi supersunt argentei  
nummi Samnitico idiomate , et cha-  
raktere inscripti ( utrumque enim  
commune erat Etruscis , ( qui in id  
bellum

bellum contra Romanos convene-  
rant), quos quidem nummos antea  
ignotos, et adquisivit possidendos,  
et illustravit clarissimum hujus pa-  
triae meae decus Hannibal de Ab-  
batibus Oliveriis musarum colu-  
men, et antiquariae eruditionis am-  
plificator.

Nec praeterunda est conjectura  
ex pateris sacrificiorum quotquot  
adhuc mihi innotuerunt derivata,  
cum omnes Etrusce scriptae sint.  
An non et Romae florebant illa-  
rum artifices Latinae linguae non  
ignari? et tamen in tam communi  
publico et privato hujus instrumen-  
ti usu vix unam semietrusca lingua  
exscriptam Praeneste inventam, ve-  
luti prodigium mirati sumus. Tam  
ingens habebatur Etruscae linguae  
reve-


reverentia , veluti non aliam dii exceptissent , qua cuperent venerari . Non est igitur quod huic simulacro antiquissimam originem adstruamus , laudantes immo ea tempora expectasse , quibus artifex profecto excellens nasceretur , qui opus produceret dignum aetate PRINCIPIS NOSTRI SANCTISSIMI , et SAPIENTISSIMI .

Haec sunt PRAESVL ORNATISSIME , quae de hoc singulari monumento , quod ab interitu , sive emigratione Italiae tuae servasti , dicenda censui ; non eo fane proposito , ut illi ex meo hoc commentariolo aliquid splendoris accederet , sed ut quod oculis conspicerem mente conquerer , et ne insalutatum remitterem . Veneror maiestatem Romanae

X L I X

nae doctrinae , ut mihi bene cessis-  
se putem , si videro caeteros me-  
liora protulisse .

F I N I S



## A D P R O B A T I O

**Q**UUM jubente R̄mo P. Thoma Augustino Ricchino S. P. A. magistro dissertationem cl. viri Joh. Baptistae Passeri de simulacro aheneo pueri Etrusci ea qua par erat diligentia perlegerim , dignam profecto existimo , quae publici juris fiat , neque id tantum , quod nihil nostrae religionis institutis , nihil bonis moribus contrarium contineat , sed quod ita est eruditè conscripta , ut multa de Etruscorum antiquitatibus eliciat , et evocet in lucem . Accedit etiam , quod dum insigne adeo monumentum ex singulari SS. D. N. CLEMENTIS XLI. munificentia in Vaticanicum museum inlatum apte ornateque inlustrat , stimulum fortasse addet iis , qui in hoc genere excellere dicuntur , ut doctis commentariis idem prorsus perficiant de tot , tantisque aliis tum sacris , tum profanis vetustis reliquiis , quibus a Deo protectus PONTIFEX vere Xystorum aemulator bibliothecam Vaticanicam curantibus , et solertissime investigantibus amplissimis Romanae curiae praesulibus Johanne Archinto archiepiscopo Philippensi domui pontificiae praefecto , et Francisco Xaverio de Zelada archiepiscopo Petrensi fac. congregationis concilii Tridentini interpretis a secretis mirifice usque adhuc locupletavit . Ex aedibus s. Callixti xx. Augusti MDCCLXXI.

*D. Petrus Aloysius Galletti Casinensis ,  
abbas s. Mariae Rotundae de Ravenna.*

I M P R I M A T U R,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apost.

D. PATRIARCH. ANTIOCH. VIC.

---

I M P R I M A T U R,

FR. THOMAS AUGUSTINUS RICCHINIUS Magister Sacri Palatii  
Apostolici Ord. Præd.





*Mangelus Ricciolini delin.*

*D. Cunego Sculp.*

1 tav. f. v.

1 testamento

1 incisione nel testo





FND  
3/1986

